Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2215

Quelle:
Copyright:

laudem dixi tibi &c. Agit potiſſimum de VII. *Impedimentis* pie recitandi Horas et de tempore, quo recitandae vel cantandae ſint. Si ſententiam poſcar, hunc ab *Henrico* abjudicem, cum quia in neutro *Cod.* noſtro ejus Nomen praefert, tum, quia ſecunda, coaeva tamen manus titulo adſcripſit *Hubertus* aut *Humbertus*, quanquam hujus nominis aliquem de Horis Canonicis ſcripſiſſe non meminerim.

XXXVIII. *fol.* 364. *Qualiter cognoſcatur an aliquod peccatum ſit mortale aut veniale.* Initium: *Ad ſciendum, quando peccatum aliquod ſit mortale uel veniale, ſunt notande quinque regule* &c. Hae Regulae dein ad *ſeptem* Species peccatorum, quae *Capitalia* dici ſolent, adplicantur. Opuſculum adfine eſt *gerſoniano de Differentia Peccatorum.* T. II. *col.* 485.

XXXIX. *fol.* 366. p. 2. *Tractatus de oratione excellentiſſimi ſacre pagine doctoris Magiſtri Johannis De Garſone Cancellarij*, hoc initio: *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua* &c. Eſt tantum Pars II. Tractatus illius *de Oratione et ſuo valore. Opp.* T. III. *col.* 251.

XL. *fol.* 370. Praemiſſo XXIV. Capp. Elencho *Sequitur Tractatus de Faſcinatione.* Initium eſt: *Cum ſecundum philoſophum in 3° poſteriorum demonſtrationis et ſcientie principium ſit* &c. Materiam Scriptor paullo poſt ita exponit: *Quid ergo ſignificetur nomine faſcinationis, et quid ſit faſcinatio, et cuius partis anime ſit hec paſſio ſiue operacio et utrum ſit paſſibilis et per quem modum contingat vnum ab aliquo faſcinari uel faſcinare Rogatus et interrogatus a quibusdam ſocijs et amicis ea que de hac materie videre potui et habere ab auctoribus inde dicta preſenti tractatu duxi in vnum — ordinanda* &c. Solenni majorum noſtrorum incuria, quae maximum negotium faceſſit *Codicum* Cenſoribus, nomen Autoris omiſſum eſt, quem ex Academiae *Vindob.* Doctoribus Theologis unum aliquem habeo.

XLI. *fol.* 389. *Sermones N. Dinkſpühel* XII. Sunt vero: *De ſancta Trinitate. De aſſumpcione marie III. De Natiuitate beate virginis. De omnibus ſanctis III. In natiuitate domini II. De ingratitudine. De ſancto johanne euangeliſta.* Sermones *Nicolai* noſtri, de quo jam alias diximus, aevo ſuo avide a doctis lectos fuiſſe, teſtis eſt *Aen. Silvius epiſt.* 165. An vero unquam prelo ſubjecti ſint hi praeſentes, dicere non habeo, niſi forte *Dominicalibus* adhaereant, qui *Argentinae* 1496. 4. lucem aſpexiſſe traduntur.

DLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 656 XV. Folior. 228. 4. non una manu, partim lineis longis, partim per 2. columnas deſcriptus, olimque *Fratrum ſancte crucis In duſſeldorp*, ut praenotatur, continet: I. *Cordiale de quatuor Nouiſſimis*,